

Quid faculam praefers, Phileros, quae nil opus nobis? 2
 ibimus sic, luceat pectore flamma satis.
 Istam nam potis est vis saeva extinguere venti
 aut imber caelo candidus praecipitans;
 5 at contra hunc ignem Veneris nisi si Venus ipsa
 nulla est quae possit vis alia opprimere.

Q. LUTATI CATULI EPIGRAMMATA

Aufugit mi animus; credo, ut solet, ad Theotimum 1
 devenit. Sic est, perfugium illud habet.
 Quid, si non interdixem, ne illunc fugitivum
 mitteret ad se intro, sed magis eiceret?
 5 Ibimus quaesitum. Verum, ne ipsi teneamur
 formido. Quid ago? Da, Venus, consilium.

Constiteram exorientem Auroram forte salutans, 2
 cum subito a laeva Roscius exoritur.
 Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra:
 mortalis visus pulchrior esse deo.
